

interdum appellet, quod multis exemplis demonstrat, et de eadem regula videri potest Gregor., lib. 25 Moral., cap. 9, alias 12, et homil. 11 in Ezechiel.; et Chrysostomus, homil. 67 in Joan.; et Origen., lib. 3 Periarch., cap. 1, et homil. 2 in libro Judicum. Multa etiam in eadem sententiam tradit Prosper in lib. ad objectiones Vincentianas, ubi specialiter in decima-sexta notanda sunt illa verba: *Qui a pietate deficiunt, non ex Dei opere, sed ex sua voluntate deficiunt, nec impelluntur ut cadant, nec ejiciuntur ut deserant; casuri tamen et recessuri ab eo qui falli non potest, præsciuntur. Quamdiu ita in oratione Dominica dicunt: Fiat voluntas tua, non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo ulla ratione factururus est, id est, ut cadant et ruant, hoc enim ipsorum nequitia, ipsorum est consummatura libertas; et ad 13: Nefas est (inquit) Deo adscribere causas talium ruinarum, qui etsi ex æterna scientia præcognitum habet, quid uniuscujusque meritis retributurus sit, nemini tamen, per hoc quod falli non potest, aut necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi; et infra concludit: Nec in tali negotio quidquam divinæ voluntatis intervenit, cujus ope scimus multos ne laberentur retentos, nullos autem ut laberentur impulsos; quæ omnia, et alia multa quæ tam in illo libro, quam respondendo ad Gallos et Genuenses, dicit, nec in rigore vera esse possent, nec objectionibus satisfacerent, si Deus ad actum peccati, a quo malitia inseparabilis est, voluntatem prædeterminat, aut si voluntate absoluta ante omnem præscientiam futurorum hujusmodi actus prædefinisset. Sic enim peccata futura Deus in sua prædefinitione seu prædestinatione cognovisset, quod reprobat idem Prosper ad objectiones Gallorum, cap. 2, et sentit 15, ubi ait posse esse præscientiam sine prædestinatione, quamvis prædestinatio sine præscientia esse non possit; nam prædestinat Deus, quæ ipso auctore erant facienda, vel quæ malis meritis justo erant iudicio retribuenda, non vero quæ non ex ipso erant causam operationis habitura. Quarto, ex dictis colligi facile potest quid in hoc puncto D. Thomas senserit, nam de illo sicut et de Augustino P. Alvarez dixit suam sententiam esse expressam sancti Thomæ.*

CAPUT XLIX.

QUID DE CONCURSU PRÆVIO AC PRÆDETERMINANTE AD ACTUM PECCATI DIVUS THOMAS SENSERIT.

1. *Testimonia sancti Thomæ ab adversariis adducta.* — Asserunt hujus prædeterminationis defensores sententiam illam esse expressam sancti Thomæ, et manifestissimis ejus testimoniis probari. Et imprimis inducunt illa quæ generaliter de concursu Dei cum causis secundis loquuntur, de quibus jam supra dictum est. Deinde addunt illa in quibus de causa peccati in particulari tractat, et inter ea potissimum refert P. Alvarez integrum articulum 2, in 2, distinct. 37, quæst. 2, ubi dicit clarissime D. Thomam docere suam sententiam, et tamen nullum verbum de prædeterminatione physica, imo nec de prævio influxu Dei in voluntatem prius natura quam actum peccati eliciat, in toto illo articulo invenitur; sed solum quod *quidquid est entitatis et boni in actu, a Deo procedit mediante voluntate.* Quod nemo est qui neget, cum ad id concursus generalis et simultaneus sufficiat. Sed instat, quia per illum concursum non influit Deus mediante voluntate; vult enim illud verbum, *mediante voluntate*, perinde valere ac, influendo prius in ipsam voluntatem, præmovendo illam; sed hoc voluntarium est, et sine fundamento, nihil enim aliud illo verbo significare voluit D. Thomas, quam quod communiter dicunt omnes, Deum operari mediis causis secundis effectus earum, quod verum est, ut supra dixi, non quia in illas agat, aut quia non immediatius quam illæ, sed quia cum illis, easque juvando operatur. Quia vero D. Thomas, in solut. ad 2 et 3, ait Deum in concursu ad actum peccati influere agenti posse et agere, et quidquid perfectionis in eo est, infert influere prædeterminando, quia alias non influeret agere. Sed hæc etiam illatio nullius momenti est, quia, ut supra etiam probavi, Deus per ipsum concursum simultaneum influit agere, et licet daret concursum prævium, per illum non per se influeret agere, sed principium aliquod, vel conditionem præviam ad agendum. Nec sunt dissimilia alia loca quæ dictus auctor allegat, ex quibus contrarium argumentum sumendum est, vel negativum, quia si rem tam gravem, tamque creditu difficilem docere voluisset, illam aliquando expressisset, vel saltem indicasset, ubi de causalitate Dei circa actum peccati tractat; nunquam autem quidpiam

insinuavit, ut ex dicto loco, qui dicitur esse potissimus, manifestum est; vel etiam sumimus argumentum positivum, non unum, sed plura, ut jam ostendimus.

2. *D. Thomas 1. 2, quæst. 79, artic. 1.* — Primo ergo exponendo doctrinam divi Thomæ 1. 2, quæst. 79, art. 1, ubi quærens an Deus sit causa peccati, distinguit duos modos quibus homo potest esse causa peccati sui, vel alterius, scilicet, *vel directe, inclinando voluntatem suam, vel alterius, ad peccandum, vel indirecte, etc.*, et utroque modo Deum non esse posse causam peccati. Omisso autem posteriori modo, de quo non est controversia, in priori considero vocare D. Thomam directam causam peccati, eam quæ inclinat voluntatem suam vel alterius ad peccandum. Certum est autem hominem non inclinare voluntatem suam vel alterius directe ad peccatum, ut peccatum est, sed ad illum actum humanum et realem, et sub aliqua ratione bonum, quia non intendit per se ac principaliter suam malitiam, seu aversionem, ut in 2, distinct. 37, in eadem quæst. 2, art. 2, ad 2, idem D. Thomas docuit. Idemque late docuerat quæst. 75, art. 1, et quæst. 3 de Malo, art. 2 ad 1. Ergo dicitur homo a divo Thoma directa causa peccati, quia directe inclinatur voluntatem suam ad actum qui talis est, ut in re non possit sine peccato fieri. Cum ergo subdit Deum non esse causam directam peccati, quia non inclinatur hominem ad peccandum, evidenter docet Deum non inclinare hominem ad actum illum realem quo peccat, et consequenter etiam docet, si ita inclinaret Deus voluntatem hominis ad peccandum, recte sequi illum esse causam directam peccati. At prædeterminare voluntatem ad talem actum, est directe inclinare illam, vel aliquid amplius; ergo si non inclinatur, multo minus prædeterminatur.

3. *Evasio ocluditur.* — Neque dici potest loqui D. Thomam de inclinatione morali, vel ex parte objecti, quia quando homo inclinatur voluntatem suam ad peccandum directe, non solum ex parte objecti, sed maxime ex parte voluntatis, ad actum peccati illam determinat; præsertim quia, ut supra dicebam, major et efficacior inclinatio est, determinatio ex parte potentiae, quam motio ex parte objecti. Unde concluditur argumentum, quia qui se determinat ad actum peccati, directe est causa sui peccati; et inclinando voluntatem alterius hominis esset directe causa peccati ejus, juxta discursum D. Thomæ; ergo si Deus prædeterminaret voluntatem hominis ad actum peccati,

esset directa causa peccati; ergo a contrario, cum D. Thomas colligit non esse Deum causam peccati directe, quia non inclinatur voluntatem hominis ad peccatum, plane sentit non inclinare nec præmovere ad actum peccati, ac subinde multo minus prædeterminare. Et hoc etiam convincit ratio D. Thomæ, quia Deus omnia convertit ad se tanquam in ultimum finem, et ideo impossibile est quod sit homini causa discedendi ab ordine qui est in ipsum; homo enim non discedit a Deo, nisi convertendo se ad commutabile bonum; ergo impossibile est quod Deus sit causa talis conversionis, inducendo, inclinando, vel prædeterminando voluntatem hominis ad illam. Accedit quod ibidem in solutione ad 1, locutiones Augustini et Scripturæ, quæ significant Deum aliquando inclinare corda hominum ad malum, exponit intelligendas esse negative, quatenus non impedit similes actiones, et eodem modo exponit excæcationem vel obdurationem; et in art. 3, ubi directe quærit an sit Deus causa peccati, dicit quidem esse causam, quoad generalem concursum; de prædeterminatione autem nec verbum aut indicium apud illum invenitur.

4. *Locus ex 1. 2, quæst. 80, art. 1.* — Atque hanc fuisse mentem suam declaravit idem divus Thomas, quæst. 80, artic. 1, ubi, ut probet Dæmonem non posse esse causam directam peccati hominis, sed tantum ex parte objecti per modum persuadentis, vel proponentis appetibile, sic inquit: *Peccatum actus quidem est; unde hoc modo potest esse aliquis directa causa peccati, per quem modum aliquis potest esse directa causa alicujus actus: quod quidem non contingit, nisi per hoc quod proprium principium illius actus movet ad agendum. Proprium autem principium actus peccati est voluntas, unde nihil potest esse directe causa peccati, nisi quod potest movere voluntatem ad agendum.* Sub quo principio sumit Dæmonem non posse interius movere voluntatem ad peccandum, et inde concludit non posse esse directam causam peccati, sed solum hominis voluntatem; nam de Deo supponit non esse, neque esse posse, quia licet interius possit inclinare voluntatem ad volendum, non tamen ad talem actum. In quo toto discursu distinguit D. Thomas inter peccatum et actum ejus, et illum dicit esse causam peccati directe, qui interius inclinatur voluntatem hominis ad talem actum, quam inclinationem soli voluntati tribuit, et negat Dæmoni propter impotentiam ejus, et Deo propter bonitatem ejus: inclinatur

tio autem qua voluntas seipsam interius inclinatur ad actum peccati, non est nisi determinatio ejus. Hanc ergo divus Thomas concedit voluntati, et negat Deo; ergo a fortiori negat Deo prædeterminationem, nam illa esset maxima inclinatio; imo, ut infra videbimus, auctores contrariæ sententiæ nomine inclinationis prædeterminationem quasi per antonomasiam interpretari solent. Accedit quod in solutione ad 3 ejusdem articuli sic D. Thomas ait: *Deus est universale principium interioris motus humani; sed quod determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directe quidem est ex voluntate humana, et a Diabolo per modum persuadentis, vel appetibilia proponentis.* Nullo ergo modo tribuit D. Thomas Deo determinationem voluntatis humanæ, sed soli voluntati et Dæmoni, diversis modis et generibus causarum. Deo autem tribuit esse universale principium, non vero esse præmotorem aut determinatorem, quia sine tali præmotione consistere potest generalis concursus primæ causæ.

3. *Locus ex quæst. 3 de Malo, artic. 1.* — Possumus tertio hoc amplius persuadere ex quæst. 3 de Malo, artic. 1, in corpore, ubi docet Deum non esse causam peccati, quia non potest facere alterum peccare; ergo consequenter docet non posse facere efficaciter ut homo faciat actum quo peccat, quia non aliter potest unus facere alterum peccare, nisi faciendo ut faciat talem actum; nam licet possit etiam facere ut omittat bonum actum debitum, id tamen et perinde est, et moraliter non fit, nisi faciendo ut eliciat voluntatem omittendi. Si ergo non faciat Deus hominem peccare, profecto nec facit facere tales actus. Idem autem probat D. Thomas, quia Deus non avertit a se voluntatem hominis, quod ideo verum est, quia Deus non convertit voluntatem hominis ad aliquid Deo repugnans, sed ad se tantum. At si faceret hominem facere actum quo peccat, jam converteret hominem ad objectum Deo repugnans, et ita faceret ut homo a Deo averteretur. Unde in solutione ad 1, exponendo Scripturam, dicit Deum non tradere hominem in reprobum sensum, vel inclinare voluntatem in malum, agendo, movendo, sed potius deserendo, vel non impediendo. Et idem repetit in solutione ad 6, ubi certum est, cum D. Thomas loquitur de inclinatione ad malum, non intelligere de inclinatione ad malum, ut malum est, sic enim nemo inclinatur vel inclinatur ad malum; loquitur ergo de inclinatione ad malum materialiter, id est, ad infimum bonum, cui est inordinatio adjuncta, sicut po-

nit exemplum ibi D. Thomas de intentione inanis gloriæ. Sic ergo ait Deum non inclinare hominem ad malum, agendo vel movendo; ergo multo minus inclinatur prædeterminando voluntatem hominis ad amanda infima bona rationi contraria, hoc enim esset inclinare ad malum agendo et movendo.

6. *Articulus secundus ejusdem quæstionis expenditur.* — In articulo vero secundo ejusdem quæstionis, qui in contrarium allegatur, tam in corpore quam in solutione ad 4, solum dicit Deum esse principium illius motus quo peccator se movet, cum peccat; non tamen dicit Deum esse principium præmovens, vel prædeterminans ad illum motum; per concursum autem simultaneum est principium universale illius motus, sicut 1. 2 dixerat; imo ibidem ait, quod a voluntate prodeant actiones pravæ potius quam bonæ, non provenire ex motione primoventis, sed ex defectu et dispositione proximæ causæ; contrarium autem verum est si Deus voluntatem ad unamquamque actionem in particulari prædeterminat; tunc enim ex tali præmotione Dei proveniet, quod voluntas faceret talem actionem, quam sine defectu facere non potest.

7. *Locus ex 2, dist. 37, quæst. 1, artic. 1, ad 1.* — *Antiqui Thomistæ idem sentiunt.* — Præterea sumitur eadem doctrina ex D. Thoma, in 2, d. 37, q. 2, a. 1, ad 1, ubi ait: *Deus non eodem modo inclinatur voluntatem in bonum et in malum; nam ad bonum inclinatur directe movendo, sed ad malum dicitur inclinare, in quantum gratiam, per quam quis a malo retraheretur, non præbet, et non quod directe voluntatem in malum ordinet,* ubi, ut jam ostendi, non intelligit de malo sub ratione mali, sed de actu, vel objecto illo, quod malum est. Huc accedunt alia testimonia supra allegata, in quibus determinationem liberam generaliter divus Thomas tribuit ipsi voluntati, sentiens prædeterminationem ab alio repugnare voluntati. Quibus omnibus addi possunt antiqui Thomistæ, quia ita D. Thomam intellexerunt, Capreolus, Conradus et Cajetanus, quos supra allegavi. Et in particulari, in causa peccati id explicuit Conradus 1. 2, quæst. 79, art. 1, in fine articuli, proxime ante solutionem ad 1, ubi dicit ideo non tribui Deo defectum rectitudinis existentis in actu peccati, quia Deus non determinat de se suum concursum ad talem actum, sed paratus est dare actum rectum, si voluntas concurrere velit, et ita de se, in actu primo seu antecedenter, offert concursum indifferentem seu multiplicem, tam ad bonum

quam ad malum actum: voluntas autem pro sua libertate ad deteriorem flectitur, et eam comitatur Dei concursus quasi ab illa determinatus. Et ideo in articulo secundo dicit quod Deus nec per se, nec per accidens, seu consequenter, vult malitiam, sicut homo peccans vult illam, quia, scilicet, Deus non vult absolute hominem velle, neque ad talem actum hominem efficaciter præmovet. In eadem sententia fuit Cajetanus auferendo præviam motionem, ut supra vidimus. Unde in 1 part., quæst. 22, artic. 2, agens de peccato solum, ait potuisse quidem Deus illos actus non permittere, tamen ad suavem et sapientissimam Dei providentiam pertinuisse illos non impedire, quia (ait) suavis dispositio liberi arbitrii creati hoc exigit, ut magis ex sua vi seipsum agat.

8. *Mens Capreoli.* — Idem docuit expresse Capreolus in 2, distinct. 28, q. 1, a. 3, ad 12; nam licet ad bonos actus putet esse necessariam præviam motionem in natura lapsa, negat illam pertinere ad generalem concursum primæ causæ, et in particulari de actu malo dicit ad illum dare Deum concursum simultaneum, non præviam, nec facere ut voluntas illum faciat: quapropter alia verba quæ ex illo citantur in eodem 2, distinct. 37, quæst. 1, a. 3, ad 1, ubi de actione peccati dicit actionem voluntatis creatæ esse posteriorem actione Dei, quia creatura non agit nisi mota a Deo, et addit motionem Dei determinare voluntatem creatam, hæc (inquam) verba, cum sunt posteriora, ita explicanda sunt, ut non sint prioribus contraria, ne dicamus in eodem libro, et post paucas distinctiones, Capreolum contrarium docuisse: priora autem verba sunt negativa, et tam expressa, ut nullam interpretationem admittant: hæc autem posteriora possunt facile exponi de motione Dei cooperativa, quæ dicitur esse prior dignitate et independentia, et per eam determinatur voluntas, non sine sua simultanea determinatione; nec enim necessarium est, nec verisimile ibi locutum fuisse Capreolum de prævia determinatione, quæ a solo Deo fiat; imo aperte sentit totum id quod ibi a Deo fit, fieri a voluntate, et e converso, licet diverso modo.

9. *Soti testimonium male adductum ab adversariis.* — Nec aliud docuit Soto, qui etiam in contrarium allegari solet, lib. 1 de Natur. et Grat., cap. 18, nam in fine solum dicit actionem peccati esse a Deo: *Eo* (inquit) *efficientiæ genere, quo cuncta ad suas actiones præmoveret.* Quia ergo dicit præmoveret, trahitur ejus

sententia ad præviam motionem, de qua certe nihil cogitavit, sed vulgari modo loquendi usus est. Alioqui vero in toto discursu capituli docet Deum tantum permissive, et per se directe neminem inducere ad malum, sed potius ita sinere libere agere voluntatem, ut sit paratissimus manum porrigere, nisi per hominem steterit; et infra ait longe distare inter permittere et intenta actione facere, quæ omnia non stant cum physica prædeterminatione, ut ex supradictis patet. Neque aliud sentit Cano, qui etiam allegatur lib. 2 de Locis, cap. 4, ad 7; nullum enim ibi verbum habet de præmotione Dei ad actum peccati, imo generaliter ait falsum esse dicere: *Deo volente, vel instigante, peccata provenire.* Ex modernioribus autem Thomistis nostram sententiam docuit Joannes Vincentius, nam, ut refert Ledesma, a. 2 et 3, etiam ad actus bonos illam prædeterminationem necessariam esse negavit. At vero P. Cumei, licet in bonis actibus illam admittat, in actibus peccatorum illam negat, dicens non esse sanæ doctrinæ consentaneum talem prædeterminationem ponere; ita habet 1 part., q. 22, art. 4, in nova appendice ad primum dubium, et 1, quæst. 79, art. 2, disput. 2 et 3; et novissime late defendit hanc sententiam P. Lorca 1. 2, quæst. 79, art. 2, disput. 37 de Peccatis, et disput. 20 de Gratia.

10. *Scoti mens.* — Eandem doctrinam in propriis et expressis terminis tradidit Scotus in 2, distinct. 37, § *Ad solutionem*, ut late supra, cap. 35 retuli. Aliqui vero in contrariam sententiam illum trahere conantur, quia dicit etiam peccata præsciri a Deo in sua voluntate, vel necessario fuisse eventura ex vi motionis Dei, si Deus ex necessitate naturæ ageret; sed quidquid sit, quomodo in his Scotus locutus fuerit consequenter, cum egit in particulari de concursu Dei ad peccatum, evidenter docuit voluntatem habere in potestate sua determinare concursum Dei ad rectam vel deficientem actionem: quapropter in hoc puncto huic testimonio standum est; in aliis autem, vel conclusionem doctrinæ non animadvertit, vel, quod verisimilius est, in alio sensu est locutus quam communiter intelligatur. Nam posita voluntate concurrenti ex parte Dei, licet illa ex se indifferens sit, dixit determinationem voluntatis creatæ futuram præsciri a Deo, non quia illa voluntas Dei sit prædefinitiva, aut prædeterminativa, sed forte quia supposuit a Deo præscientiam futurorum sub conditione non haberi, ut in Prolegomeno 2 dicemus. Sic enim etiam aliqui sententiam illam sequuntur,

qui prædeterminationem non admittunt. Quod vero Scotus dixit futurum ex hypothesi, si Deus ageret ex necessitate naturæ, non est propter determinationem, sed quia tunc Deus vehementius moveret quam nunc, ut supra tetigimus. Denique plures alios antiquos Doctores Scholasticos pro hac sententia retuli l. 2 de Auxiliis, cap. 7, quos hic iterum referre necessarium non est. Novissime autem sententiam hanc defendit, et ingeniose ac efficaciter persuadet Franciscus Dotallevi, in libro de Concursu Dei ad actus liberos, cap. 7, per totum. Quæ autem contra hanc sententiam objici solent non habent peculiarem difficultatem, præter illam quæ communis est omnibus actibus liberis ordinis naturæ, et ideo in capite sequenti dissolvuntur.

CAPUT L.

FUNDAMENTIS CONTRARIÆ SENTENTIÆ SATISFACIT.

1. *Fundamentalis ratio adversariorum ex indifferentia voluntatis sumpta confutatur.* — Priusquam de concursu prævio ad supernaturales actus dicamus, necessarium est ad fundamenta contrariæ sententiæ respondere, quæ omnibus actibus liberis generalia sunt, et supra cap. 29, in octava ratione contrariæ opinionis, cum suis confirmationibus, illa breviter comprehendimus. Principalis autem ratio sumebatur ex ipsa indifferentia voluntatis, addito illo principio quod a causa indeterminata nihil determinatum potest prodire. Jam vero a nobis ostensum est, vel ob hoc ipsum necessarium non esse illam præviam motionem, quia oportet ut ipsamet voluntas, in actu primo indeterminata, ad actum secundum se determinet, ut proprio et connaturali modo operetur, alioqui non esset illa indifferentia activa, sed passiva, respectu determinationis, qualis est in potentia motiva manus ad movendum vel non movendum, vel ad sursum, vel ad deorsum movendum. Et sic dixit D. Thomas, in 4, distinct. 46, quæst. 1, artic. 3, quæst. 2, a. 5, quod *voluntas potest in oppositum eorum quæ ipsa sibi determinat*, et multa alia in superioribus adduximus. Ad illud vero principium, quod a causa indeterminata non prodit determinatus effectus, respondet optime Scotus, in 2, distinct. 25, quæst. unic., ad ult., illud esse verum in principiis seu potentiis, quæ, licet aliquo modo universalis sint, sunt tamen imperfecta, quantum

ad hoc quod non habent dominium suæ actionis, et ideo indigent aliquo determinante ad alterutram partem. Alioqui, ut Aristoteles ait, 9 Metaphys., cap. 5, text. 10, si ex se et sine alio determinante procederent in actum, simul efficerent contraria, quia utrumque possunt, et non esset major ratio de uno quam de alio. Et hoc aperte patet in exemplo potentiæ motivæ, et idem est de intellectu, et arte, et similibus. Secus vero est de voluntate, quæ est perfecta potentia cum dominio sui actus, et ideo licet sit potentia contrariorum vel contradictoriorum, potest objecto præsentem ad unam partem se determinare.

2. *Quæ ad eam rationem adducebantur rejiciuntur.* — *Primo, ex D. Thoma.* — Neque obstant quæ ad probandum illud principium afferuntur. Primum est ex D. Thoma, 1 part., quæst. 19, art. 3, ad 5, ubi admittit illud principium in omnibus causis creatis, solamque excipit divinam voluntatem, et rationem reddit, *quia causa quæ est ex se contingens, oportet quod determinetur ab aliquo exteriori ad effectum; sed voluntas divina, quæ ex se necessitatem habet, determinat seipsam ad volitum ad quod habet habitudinem non necessariam.* Hoc autem discrimen applicatum ad voluntates creatas, fundatur in hoc quod voluntas creata est ex se indeterminata, non solum active, sed etiam passive, ita ut non possit se determinare nisi aliquid in se agendo: voluntas autem divina altiori modo se determinat nihil in se recipiendo, propter summam actualitatem et necessitatem essendi quam habet; et hinc fit ut voluntas creata per se sola non possit se determinare sine dependentia ab alio, quia sicut in suo esse dependet a Deo, ita etiam in sua determinatione, et in hoc sensu oportet quod ab aliquo exteriori determinetur; ubi exponendo D. Thomam non dixisse *prædeterminetur*, quia non oportet ut solus Deus faciat determinationem, sed satis est ut cooperetur voluntati se determinanti.

3. *Deinde ex ratione.* — Ratio autem illa, quia non est cur causa indeterminata hunc magis quam illum effectum faciat, habet locum (ut cum Scoto dixi) in causis et potentiis quarum actiones non sunt intrinsece voluntariæ, neque sub dominio illarum. In voluntate autem facile redditur ratio cur existens in actu primo indeterminata aliquid determinare velit, scilicet, quia vult, et eo ipso quod in objecto proponitur sufficiens ratio volendi illud, est etiam ratio sufficiens volendi ipsummet velle. Neque est verum voluntatem, supposita

propositione talis objecti, non esse sufficienter constitutam in actu primo, tam ad eliciendum actum volitionis, quam nolitionis; habet enim ad utrumque sufficientem et quasi eminentem virtutem, ut declaratum est. Intelligitur autem hoc absolute loquendo de actibus proportionatis viribus voluntatis: nam si sint actus superioris ordinis, oportebit principium compleri per quid superius principium, non propter rationem generalis concursus, sed ut defectum virium ex parte causæ secundæ suppleat: postquam autem completa fuerit voluntas in ratione principii proximi, jam non indigebit concursu prævio, sed concomitante.

4. *Tertia instantia confutatur.* — Cum autem instatur, quia agens quod quandoque est actus, quandoque in potentia debet prius moveri, quam de potentia reducatur in actum, aperta fit æquivocatio; nam illud principium est verum de agente, quod interdum est in potentia passiva ad ipsum principium agendi, vel complementum ejus; ut quia aqua potest esse et actu calida, et in potentia, ideo quando tantum est in potentia, non potest calefacere quin prius ipsa calefiat; et quia visus potest esse interdum in actu, interdum tantum in potentia ad speciem visibilem, ideo, quando est in potentia, oportet prius reduci in actum speciei quam eliciat visionem. Hoc autem non habet locum in potentia pure activa, ut activa sit, id est, quatenus potest esse agens in actu secundo, vel tantum in actu primo, in quo statim dicitur etiam esse in potentia ad agendum: tunc enim si actus primus sit completus in suo ordine, ut reducatur de tali potentia ad actum, non indiget prævia motione, vel actualitate, sed vel nulla, vel subsequente. Unde si agens solum per transeuntem actionem reducatur in actum, in se non magis actuatur, si antea erat completum in virtute agendi, sed per solam denominationem extrinsecam dicitur constitui in actu secundo. Quia vero tale agens ex necessitate naturæ operatur, si supponatur esse completum in actu primo, quoad virtutem intrinsecam, non potest esse in potentia ad actionem, nisi ex defectu alicujus conditionis requisitæ ad agendum, et ideo necessarium erit præcedere aliquam motionem per quam talis conditio compleatur; id autem sæpe fieri poterit sine motione agentis, applicando passum, vel tollendo impedimentum, etc. Si vero agens reducatur in actum per actionem immanentem, illud quidem movetur quando se in actum reducit, non tamen movetur ut agens est, sed ut recipiens, neque movetur ut agat, sed

movetur quia agit, et ideo secundum talem motionem non præmovetur ab alio prius natura quam ipsum se moveat, sed simul, cum ipsum se movet, movetur a Deo per concursum simultaneum; ergo ex vi illius reductionis de potentia in actum non est necessarius concursus prævius. Quod si illa reductio de potentia in actum præcise consideretur, ut est a potentia apta ad agendum, in actionem quam antea non eliciebat, tunc si actus primus supponatur completus, non est necessaria prævia motio ab extrinseco proveniens, sed intrinseca applicatio per voluntatem sufficit, nam ad illam pertinet hujusmodi potentias, et seipsam ad exercitium applicare.

5. *Confirmationes ab adversariis in sua fundamentali adductæ rejiciuntur.* — *Prima, quia alioquin omnes actiones liberæ essent Deo fortuitæ.* — Prima confirmatio erat, quia alias determinationes liberæ essent fortuito et contingenter respectu Dei, quæ illatio videtur fundari in hoc principio, quia omnia quæ non prædeterminantur a Deo, fortuito eveniunt respectu illius, quod manifeste falsum est: nam peccata, ut peccata, non prædeterminantur a Deo, et tamen non fortuito eveniunt respectu illius. Respondebunt Deum prædeterminare actum qui est peccatum, et in illa prædeterminatione præscire malitiam consequentem actum, et illam permittere, et ideo peccatum non fortuito evenire. Quæ responsio falsum quidem supponit, quod satis jam impugnatum est; nihilominus tamen nobis occasionem præbet solvendi argumentum, servata proportione, et seclusa illa prædeterminatione, quæ in actibus peccatorum habet absurditatem; in aliis vero saltem non est necessaria ad excludendum casum seu fortunam ab actibus liberi arbitrii, respectu Dei. Nam Deus voluntarie facit et providet omnia prærequisita, ut voluntas hic et nunc libero possit hoc vel illud operari: prævidet etiam quid sit operatura voluntas, si ipse suum concursum offerat, eamque operari sinat, et decernit eam sinere, vel permittendo actum, si malus futurus sit, vel illum acceptando et volendo, si sit bonus, quod totum optime intelligitur sine prævio concursu aut prædeterminatione, et sufficit ut casu actus non eveniat, vel fortuito respectu Dei. Quis enim dicat casu alicui accidere quod, eo præsciente, et non impediendo cum posset, vel quod magis est, ipso admittente et cooperante, evenit?

6. *Saltem evenirent præter intentionem Dei.* — Dices illud saltem evenire præter inten-